

## ARCANA CEREALIA.

Cereris Bacchique religiones constat in Graecia olim rusticis hominibus curae fuisse, inde explicatur et cur spretae sint ab heroicis poetis et cur ipsa rusticitate caerimoniarum posteriorum mores politiores offenderint, hinc simul explicatur, cur inde a sexto fere saeculo utriusque religionis arcana magis magisque misceri coepta sint, quod in Eleusiniarum deorum cultu manifesto videmus usu venisse, antiquissimus quidem in Cererem hymnus, quem ante sacra Eleusinia cum Atheniensium re publica iuncta confectum esse recte existimant, nulla vel paene nulla fert vestigia bacchicae religionis. <sup>1</sup> at Pisistratidarum imperio, quod in agricolis maxime nititur, Bacchi et Cereris sacra augeri et misceri, Eleusinae deae Athenas transferri, Iacchus Eleusina traduci coepti sunt, et cum his temporibus Onomacrito praecipue auctore sacra carmina in Orphicorum usum i. e. ad bacchicum modum conficerentur, non mirum est vel tum vel paullo post etiam Cereris religionem in Orphicorum cultum ac poesin esse transvectam, testis hymnus ille Cereris, quem sub Musaei personati nomine Lyeomidarum gens Orphica sacra colens ferebat <sup>2</sup>; testis poeta ille quisquis fuit qui sub Orphei nomine Proserpinae Cererisque res inde a raptu virginis usque ad fruges per orbem terrarum sparsas et sacra constituta descripsit <sup>3</sup>; testes etiam laminae illae aureae quarto fere saeculo ante Chr. sepulcris Thurinis impositae, cum Orpheotelestae litteras pro-

<sup>1</sup> Νύσιον ἄμ πεδίον (v. 17) Odofredus Muellerus ad mythologiam bacchicam recte videtur retulisse, quod iam altero a. Chr. saeculo in hymno lectum esse papyrus nuper in Aegypto effossa docet, quam significavi in *Laticulis Alexandrinis* (*Abh. d. Berl. Ak.* 1904 p. 15), sed ibidem cum omnia haec Cereris sacra in Orpheum mysteriorum primum doctorem referantur, elucet quam late postea haec sacrorum mixtura patuerit.

<sup>2</sup> Paus. I 23, 7. etiam in papyro illa Musaei praeter Orpheum sunt partes.

<sup>3</sup> Marui. Par 14 (p. 7 Jacoby): <ἀφ' οὗ Ὀρφεὺς ὁ Οἰάγρον καὶ Καλλιόπης> νῖο <σ τ> ἠ<ν ε> αυτοῦ ποιήσιν ἐξ<ε>θῆκε, Κόρης τε ἀρπαγὴν καὶ Δήμητρος ζήτησιν καὶ τὸν αὐτοῦ <αγγθέντα σπόρον, ὃν ἐδίδαξε τὸ πλῆ>θος τῶν ὑποδεξαμένων τὸν καρπὸν. idem carmen respicit Orph. Argon. 26 Δήμητρος τε πλάνην καὶ Φερσεφόνης μέγα πένθος.

peuptycas ad Proserpinam aliosque Eleusine cultos deos inferos quasi mortuorum manibus commissas conscribere fabulasque Eleusiniis novo eoque subrustico more versibus explicare coepissent.<sup>1</sup>

Etiam in posteriorum Orphicorum fragmentis, quae quando conscripta sint, dubia est quaestio, multa insunt ex Cereali cultu translata, nullum autem vel mirabilius vel magis virorum doctorum controversiis temptatum quam Baubonis hoc sive elogium sive opprobrium quod servavit Clemens Alexandrinus ex erudito satis scriptore excerptum in Protrept. 2 (p. 17 Potter, p. 15, 27 Staehlin): ὦζουν δὲ τηλικάδε τὴν Ἐλεῦσινά οἱ γηγενεῖς ὀνόματα αὐτοῖς Βαυβῶ καὶ Ἀνυσάλης καὶ Τριπτόλεμος, ἔτι δὲ Εὐμολπὸς τε καὶ Εὐβουλεύς (βουκόλος ὁ Τριπτόλεμος ἦν, ποιμὴν δὲ ὁ Εὐμολπὸς, σὺβῶτης δὲ ὁ Εὐβουλεύς, ἀφ' ὧν τὸ Εὐμολπιδῶν καὶ τὸ Κηρύκων, τὸ ἱεροφαντικὸν δὴ τοῦτο Ἀθηναῖοι γένος, ἦνθησεν). καὶ δὴ, οὐ γὰρ ἀνήσω μὴ οὐχὶ εἰπεῖν, ξενίσασα ἢ Βαυβῶ τὴν Ἀθῶ ὀρέγει κνεῶνα αὐτῇ· τῆς δὲ ἀναινομένης λαβεῖν καὶ πιεῖν οὐκ ἐθελούσης (πενθήρης γὰρ ἦν), περιαλγῆς ἢ Βαυβῶ γενομένη ὡς ὑπεροραθεῖσα δηθεν, ἀναστέλλεται τὰ αἰδοῖα καὶ ἐπιδεικνύει τῇ θεῷ· ἢ δὲ τέρεται τῇ ὕψει ἢ Ἀθῶ καὶ μόλις ποτὲ δέχεται τὸ ποτὸν ἡσθεῖσα τῷ θεάματι. ταῦτ' ἐστὶ τὰ κρύφια τῶν Ἀθηναίων μυστήρια, ταῦτά τοι καὶ Ὅρφεὺς ἀναγράφει. παραθήσομαι δὲ σοι αἰτὰ τοῦ Ὅρφέως τὰ ἔπη, ἴν' ἔχῃς μάστιγα τῆς ἀναισχυντίας τὸν μυσταγωγόν

ὡς εἰποῦσα πέπλους ἀνεσύρατο, δειξε δὲ πάντα  
σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον· παῖς δ' ἦεν ἴαχος  
χειρὶ τέ μιν ῥίπτασκε γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις·  
ἢ δ' ἐπεὶ οὖν μείδησε θεά, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ,  
ᾧ δέξατο δ' ἀλόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κνεῶν ἐνέκειτο.

codex P, in quo hic Clementis liber solo positus est, videtur derivatus esse (ut Philonis de officio Vindobonensis) ex Caesarensis bibliothecae exemplo, quo quarto saeculo Eusebius utebatur. tanta est saepe in corruptissimis consensio, velut in v. 4 neglegenter praecceptum est μείδησε in priore ex posteriore hemistichio, quod communiter peccatum in P et Eusebio sanavit G. Hermannus, dum restituit:

ἢ δ' ἐπεὶ οὖν ἐνόησε θεά, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ.

nam quod Lobeekius snaserat εἰδῆσε et si qua alia ab aliis praec Hermannus

<sup>1</sup> de his cf. quae scripsi in libro Gomperzio oblato 1902 p. 1 sqq. (*Orphischer Demeterhymnus*). Iamminam postea ipse Neapoli vidi et contuli et paucis omnia quae illic aliis fisis ut extantia protuli nunc oculatus testis tuor, neque minus rationem explicandi, quam displicuisse video G. Murrayo, viro doctissimo, in J. E. Harrison's *Proleg. to the Study of Greek Religion* (Cambr. 1903) p. 669.

manni invento sordent. <sup>1</sup> hoc igitur vitium in aperto, sed apparet, qui hos versus vel explicaturi sint vel emendaturi, a tradita eos lectione non multum aberrare debere ut in loco satis antiquis testibus munito, quare per se haud placent quae nuper viro erudito ac sagaci A. Ludwichio in mentem venerunt <sup>2</sup>:

ὡς εἰποῦσα πέπλους ἀνεσύρατο· δείξει δὲ πάντα  
 σώματος οὐδὲ πρόεποντα τύπον---παῖς δ' ἦεν ἰαλλος---  
 χειρὶ τέ μιν ῥέπτασκα'· ἐγγέλων Βαυβοῦς ὑπὸ κόλοποι.  
 ἦ δ' ἐπεὶ οὖν μιν ἴδεσκε θεά, μείδισ' ἐνὶ θυμῷ,  
 ὦ δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κυκεῶν ἐνέκειτο.

qui vir doctus recte quidem proficiscitur ab Arnobio V 25 sq. de Baubone eadem referente, at graviter errat cum communi auctore, non ipso Clemente romanum scriptorem usum esse opinatur, neque enim hoc uno loco, sed per totum caput et ultra Arnobius duce Clemente utitur, quem sane libere et rhetorice amplificat et ad suum arbitrium explicat, nihilo minus versio eius ac pedestris circumscriptio valde utilis est nobis, nam tum temporis (tertio saeculo exeunte) multa antiquae religionis vestigia etiam vigeant, unde vel obsoleta rectius ille quam nos intellegere posset, sic igitur ille l. c. p. 196, 19 Reifferschl. : c. 25 *obstinatissime durat Ceres et rigoris indomiti pertinaciam retinet, quod cum saepius fieret neque ullis quiret obsequiis ineluctabile propositum fatigari, vertit Baubo artes, et quam serio non quibat, allucere ludibriorum statuit exhilarare miraculis: partem illam corporis, per quam secus femineum et subolem prodere et nomen solet adquirere genetricem, longiore ab incuria liberat, facit sumere habitum puriorem et in speciem levigari nondum duri atque hystriculi pusionis, redit ad deam tristem, et inter illa communia, quibus moris est frangere ac temperare maerores, retegit se ipsam atque omnia illa pudoris loca revelatis monstrat inquinibus, utque pubi adfigit oculos diva et inauditi specie solaminis pascitur: tum diffusior facta per risum aspernatam sumit atque ebibit potionem, et quod diu nequivit verecundia Baubonis exprimere, propudiosi facinoris extorsit obscenitas. 26. calumniari nos improbe si quis forte hominum suspicatur, libros sumat Threicii vatis, quos antiquitatis memoratis esse divinae, et inceniet nos nihil neque callide fingere neque quo sint risui deum quaerere atque efficere sanctitates.*

<sup>1</sup> quod in P ante correctorem fuisse videtur ΜΕΙΔΙΣ (abundanti iota ut saepe scriptum) nihilo plus valet quam ΗΙΣΚΑ quod v. 2 pro ΗΕΝ fuisse videtur, de hac orthographia cf. Comment. in Theaetet. ed. Diels et Schubart (Berl. 1905) p. XIII sq.

<sup>2</sup> N. Jahrb. f. class. Philol. 141 (1890) p. 57.

*ipsos namque in medio ponemus versus, quos Calliope filius ore edidit  
graeco et cantando per saecula generi publicavit humano :*

*sic effata simul vestem contraxit ab imo,  
obiecitque oculis formatus inguinibus res.  
quas cava succutiens Baubo manu— nam puerilis  
ollis vultus erat — plaudit contrectat amice.  
tum dea defigens angusti luminis orbem  
tristitias animi paulum mollita reponit :  
inde manu poculum sumit risuque sequenti  
perducit totum cyceonis lacta liquorem.*

Ex Arnobii paraphrasi et versione primum elucet recte emendatum esse ἐνόησε, tum, quod pluris est, nullum esse Iacchum, quem iam Lobeckius addubitaverat <sup>1</sup> et Landwichius restituto v. 2 παῖς δ' ἦεν ἰαλλος (*infans pudendis effectus ludibrium erat*) e medio tollebat. nam Arnobius etsi haud recte sui saeculi nequitia abusus <sup>2</sup> putat glabrum pupulum formatum esse ex inguinibus Baubonis, cum explicat *in speciem levigari nondum duri atque hystriculi pusionis*, tamen recte omnino intellegit quod latine vertit « *nam puerilis ollis* (seil. inguinibus) *vultus erat*. ergo ἰαχρον sonare vidit pudendum muliebre, quod nostrates fingisse sane permirum est. Dionysium quidem maiorem tyrannum Siciliae, qui in tragoediis suis obsoletis et abstrusis utebatur vocabulis, τὸν χοῖρον dixisse constat ἰαχρον. <sup>3</sup> nimirum in sermone sacro et recondito ἀπὸ τοῦ ἰάχειν vel ἰαχεῖν vocabatur ὁ χοῖρος, ut a grunniendo in Testamento porcelli M. Grunnius Corocotta inducitur. eiusmodi glossis quanto opere olim oraculorum poetae, tum dithyramborum delectati sint, in vulgus notum est. ipsi Orphici poetae luxuriant huius modi glossis sacris velut fr. 252 Abel :

*καὶ βέδν νυμφάων καταλείβεται, ἀγλαὸν ἔδωρ.*

ipse Clemens ex Epigene *Περὶ τῆς Ὀρφείως ποιήσεως* integrum glossarium excerpsit, quod operae pretium est huc afferre. <sup>4</sup> nam eiusdem

<sup>1</sup> *Aglaopham.* p. 826 *coque suspectior redditur ille palpator Iacchus, quem neque Arnobii interpretatio admittit neque aliunde cognitum habemus.*

<sup>2</sup> Cass. Dio 48, 44 *παιδίον τι τῶν ψιθυρῶν οἷα αἱ γυναῖκες γυνὰ ὡς πλήθει ἀθύρουσαι τρέφουσιν* cf. Birt de pueris minutis *Ind. lect. aest. Marburg.* 1892.

<sup>3</sup> Athen. III 98 D *Ἀθῆναις δ' ἐν ἁ Σικελικῶν τὸν αὐτὸν φησι Διονύσιον καὶ τὸν βοῦν γαρόταν καλεῖν καὶ τὸν χοῖρον ἰαχρον.* de purpurati poetae deliramentis. quae praecivit Euphorionibus, cf. Moineke *Anal. Alexandr.* p. 136.

<sup>4</sup> Strom. V 675/6 Pott. *κερκίσι καμπυλόχρωσι τοῖς ἀρότροις μὲνέσθαι, στήμοσι δὲ τοῖς αἰλαξι, μίτον δὲ τὸ σπέρμα ἀλληγορεῖσθαι. καὶ δάκρυα Διὸς τὸν ὄμβρον δηλοῦν, Μοιρας δὲ αὐτὰ μέρη τῆς σελήνης, τριακάδα καὶ πεντεκαίδεκάτην καὶ νομμηρίαν· διὸ καὶ λευκοστόλους αὐτὰς καλεῖν τὸν Ὀρφέα φωτὸς*

esse farinae omnes istas voces atque *ΐαχρον* neminem latet. atqui *χοϊζρον* in vulgari sermone naturam muliebrem significare cum aliunde <sup>1</sup> notum est tum ex Acharnensium iocis. ergo duplici metaphora usus Orphicus Baubonis inguina (non solum ipsam mulieris naturam) *porcum* primum, tum *iacchum* nuncupat, quod Arnobius, nisi e contextu versuum divinaverat, ex lexicis, qualia tum ferebantur, facile haurire potuit.

Idem recte intellexit quae continentur *χειρό τέ μιν ῥίπτασκε* dicta esse de Baubone palpante ac quasi ventilante sua inguina. ergo hoc quoque recte expressum :

*quas cavā succutiens Baubo manu . . .*

*. . . . . plaudit contrectat amice.*

de vitio metrico, quod inesse queruntur, nolo loqui uberius, quia non meum esse sentio definire, quid concessum fuerit rhetori Africano in re metrica, quoniam in univrsam constat, quanta licentia tum vulgares poetae (velut epigrammatum a Buechelero collectorum) et christiani sint grassati. at omnino quaeritur, num mera subsit negligentia. nam qui *saeras velarier et coronarier p̄inos* consulto dixit V. 7 (p. 179, 24), ut prosam ornaret, et qui in proximo versu *ollis* ad Ennii, Lucretii, Vergilii exemplum posuit, ne ille etiam illuc delabi potuit, ut correptis iambis *cava* et *manu* nescio quo pacto antiquitatem imitari sibi videretur. <sup>2</sup> utut est, de sensu interpretationis Arnobianae nulla est controversia, unde iam graecis paulo magis implicatis verbis lux huius scio an affulserit. nihil enim mutandum, modo intellegas poetam istum vulgarem vulgariter interposuisse explicandi gratia *χειρό τέ μιν ῥίπτασκε* inter ea quae arte inter se nexa sunt

*παῖς δ' ἵεν ἱαχρος . . . γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις.*

sub sinu scilicet apparent Baubonis inguina retecta tanquam pueri os idque ut par est (hoc inest in particula *τέ*) plaudit et contrectat metricum more. <sup>3</sup> ergo totum fragmentum, unam Hermannii emenda-

οὔσας μέρη. πάλιν ἔνθ' ἰον μὲν τὸ ἕαρ διὰ τὴν φύσιν, ἀργίδα δὲ τὴν νόκτα διὰ τὴν ἀνάπαισιν, καὶ Γοργόνιον δὲ τὴν σελήνην διὰ τὸ ἐν αὐτῇ πρόσωπον, Ἀφροδίτην δὲ τὸν καιρόν, καθ' ὃν δεῖ σπείρειν, λέγεσθαι παρὰ τῷ θεολόγῳ. Cfr. Protr. 2,22: τῆς Θέμιδος τὰ ἀπόρητα σύμβολα . . . , κτεῖς γυναικεῖος, ὃ ἔστιν εὐφώμιος καὶ μυστικῶς εἶπεῖν μύριον γυναικεῖον.

<sup>1</sup> velut *χοϊρίαι* conchulae a similitudine partis muliebri nomen acceperunt (cf. O. Jahn *Ber. d. sachs. Ges. d. Wiss.* 1853 p. 18; tab. V 6), tum a *porcellis* istis materiae similitudine *porcellana* vasa vocata sunt.

<sup>2</sup> de similibus Ausonii archaismis egit Leo *Gott. gel. Anz.* 1896 p. 791 et Skutsch in libro *ΐέρας* Pickio oblato p. 143.

<sup>3</sup> Buechelerus, qui vehementer probat et Clementis et Arnobii has vindictas, amicissime mihi suggerit Persii notam illam aviam, quae eunus eximit puerum et tunc manibus qualit (2,35). illaque etiam notior est Hector Astyanacta palpans: ἐπεὶ κόσε πηλέ τε χειρίν (Ζ. 474).

tionem si excepias, sic ut traditum est habeto integrum et intemeratum:

ὡς εἰποῦσα πέπλους ἀνεσύρατο, δείξε δὲ πάντα  
σώματος οὐδὲ πρόποντα τύπον· παῖς δ' ἦεν Ἰακχος  
(χειρὶ τέ μιν ὀλίπτασκε) γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις.  
ἡ δ' ἐπεὶ οὖν ἐνόησε θεά. μείδισ' ἐνὶ θυμῷ,  
δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κικεῶν ἐνέκειτο.

quod sic latine verto brevius, opinor, at apertius quam Arnobius:

*sic effata palam sublata veste pudenda  
corporis ostendit. namque os puerile ferebant  
inguina, quae tremulos Baubo crispante cachinnos  
edebant. haec visa deae risum peperere.  
tum dextra calicem prendit, quem cinnus adimplet.*

Baubonis igitur ludierum subrusticum hoc fuit, ut sublata veste inguina i. e. totam sub simu (ὑπὸ κόλποις) sitam partem ventris pube tenuis nudaret atque concusso abdomine et rugis eius varie distortis humani oris aspectum daret circa umbilicum velut nasum ridicule serugantis. qua in re nondum exploratum est, cuiusnam sexus speciem hoc ventris os prae se tulisse dicatur; quippe verba haec παῖς ἦεν Ἰακχος, masne an femina repraesentetur, in dubio relinquunt. de femina sane quilibet primum cogitet, nisi Arnobii interpretatio intercedat.

At quid tandem, inquires, in hac re ludicri? nonne Arnobius recte (c. 27 p. 198, 22): *quidnam quaeoso in spectu tali, quid in pudendis fuit verendisque Baubonis, quod feminei sexus deam et consimili formatam membro in admirationem converteret atque risum, quod obiectum homini conspectuique divino et oblivionem miseriarum daret et habitum in laetiores repentina hilaritate traderet?*

Haece si quis obieciat, ego ludi cuiusdam commonefaciam, quam in Helvetiae quodam vico olim se vidisse narrare memini virum doctum sane ac severum, sed plebeculae mores studiose rimantem. «Versabar, inquit, ante aliquot annos per feriarum aestivalium otia in Helvetiae oppidulo regionis amoenitate conspicuo, verum popularibus magis quam externis hospitibus celebrato, ibi post cenam, cum pluviae exitum arcerent, unus ex adolescentibus, Helvetius natione, qui picturae Monaci id temporis operam dabat, Turcum ventriosum, quod vernacule dicebant *Bauchtürke*, acturum se esse professus est. quod cum a iunioribus cum plausu acceptum esset, post aliquantum morae ac praeparationis pone mensam coram spissa corona hospitum proliit Turcus ille mirum in modum vestitus, etenim inferiora corporis mensa obtgebantur, superiora quae eminebant amplissimo panno viridi tanquam tiara (*Turban* dici solet) operata erant. at inter utrumque

venter adulescentis nudus apparebat fuligine in oris humani effigiem coloratus, in centro extabat umbilicus velut nasus, supra oculi duo superciliis magnis circumdabantur, infra suberat immanis rictus. iam proeas adulescens concinente musica latera movere, ventrem crispare, abdominis rugas huc illuc flectere coepit, ut virgines Helvetiae — nam paucae quae aderant Britannicae ilico cum clamore aufergerant — cum senioribus viris matronisque popularibus risu paene dirumperentur ac summa eius coetus hilaritas efficeretur. » sic mihi auctor gravissimus naravit, qui tamen cum ex eo quaererem, num forte antiqui moris Helvetii vestigia (ut fit) in ludicia versi superessent, nescire se fatebatur, quae esset eius ioci origo, ac ne illud quidem se scire, utrum is ex Helvetiorum popularibus ludicris an ex artificum Monacensium fescenninis sit petitus. utut est, hoc elucet quam nullo apparatu homines simplices possint ad summam festivitatem commoveri, ipse mihi paulo decentiore ludo mimicos subinde homines mensibus sublatis malum quoddam vel vulgare vel sineum mappa involutum sic agitare, ut capitis humani similitudine in varios modos inclinati omnium, qui spectabant, vultus in hilaritatem effunderentur.

Non dubito, quin ei quibus popularium morum studium cordi est similia multa proferre possint. <sup>1</sup> nos interim iugulum petimus, quaeritur enim, num quod eius rei, quam Orphicus poeta obscuris versibus significat, in ipsis Cereris sacris relictum sit vestigium. nam cum antiquissimus ille quem tenemus hymnus Eleusiniis deabus in festo oblatas ita compositus sit, ut mysticarum caerimoniarum series, quas singuli deinceps mystae per feriarum celebritatem ipsi vel patrabant vel patiebantur, in epicam de dearum fatibus narrationem solveretur, consentaneum est Baubonis obscena ludicia non sine ipsius festi Cerealis exemplo versibus celebrata esse, qua in re Iambes similitudinem viri docti diu attulerunt, cuius personae naturam ex Iamborum religione Eleusine et Pari culta explicandam esse omnes consentiunt, etsi Eleusine Baubonis atticae mulieris nulla adhuc vestigia inventa sunt, quod facile intellegi potest, in aliis regionibus minus perpolitae agreste illud numen plus auctoritatis refinuisse videtur, velut in ipsa insula Paro, cuius Cerealia Archilochi parentes induxisse videntur, illic enim extat votum Erasiphae Prasonis filiae ἼΙρη, Ἀήμηρι θερμοφόρω καὶ Κόρη καὶ Ἀὶ Ἐνβουλεῖ καὶ Βανβοῖ erectum <sup>2</sup>,

<sup>1</sup> procul tamen habenda exempla γυναικῶν vel per petulantiam vel per iram ἀναστροφένων, de quibus cf. O. Jahn l. c. p. 95. neque vero προβασιάνιον est εἰμβονίης gestus, ut doctissima virgo putat J. E. Harrison *Prolegomena* p. 570.

<sup>2</sup> Bechtel in Collitzi *Dialektinschr.* III 2,590 n. 5441.

quod ad hanc Baubonem pertinere nemo negavit. <sup>1</sup> quod olim legabatur BABOI, nunc correctum est postquam Y litteram super A in lapide scripta reperta est, sed fieri potest, ut Βαβώ vulgaris fuerit forma, nam βαυβῶν et βαβῶν (de concubitu) idem est <sup>2</sup>, et hanc popularem matrimonii patronam cum antiquissimis caerimoniis coniunctam fuisse, quae ad agros fecundandos valerent, et per se credibile est et confirmatur cognatarum nationum (ut alienas sileam) ritibus rusticis, velut e germanicis et slavicis moribus multa eiusmodi Mannhardtius noster collegit et scite interpretatus est. <sup>3</sup> sed in hunc quaerendi campum qui latissime patet nolo excurrere.

Immo explicare studeo et amplificare ea quae in *Poetis Philosophis* p. 166 ad Empedoclis fr. 155 succincte significaveram. Hesych. s. v. βαυβώ: τιθήνη. Μηνητρος· σημαίνει δὲ καὶ κοιλίαν, ὡς παρ' Ἐμπεδοκλεῖ. ibi adnotaveram haec: « nomen illustratur absonis illis figuris figlinis, quae in templo Cereris Priensis 1899 inventae sunt. caput enim deest, venter cum inguine tanquam os ornatur. » de hac explicatione Ioannes Schrader, Prienes repertor ac descriptor doctissimus, aliquid dubitationis movit <sup>4</sup>: « Der Kreis », inquit, « in dem die Erklärung zu suchen ist und die Art wie solche ungeheuerlichen Bildungen zustande kommen konnten, wird durch diese Stelle sicher richtig bezeichnet; ob man freilich die Beschreibung der Figuren als zutreffend anerkennen will, muss dahingestellt bleiben: der erste Eindruck ist der, dass der Kopf unmittelbar auf die Beine gesetzt ist, nicht dass Brust und Kopf fehlen und der Bauch als Gesicht gestaltet sei. »

<sup>1</sup> cf. O. Kern *Baubo* (Panly-Wissowa R. Enc.). Crusius ad Herond. p. 128. addo nunc in papyro illa Baubonem (vitiose Βραυβῶ vocatur) Metanirae partes agere, ubi Demophontis sors narratur.


<sup>2</sup> Dieterich *Philolog.* 42, 4. βαυβῶν Herodens etsi cohaeret cum verbo βαυβῶν, nihil tamen vinculi habet cum Baubonis persona.

<sup>3</sup> *Baumkultus* c. 5 p. 422 sqq. *Mythol. Forsch.* p. 238 sqq. (Cereris et Iasionis matrimonium).


<sup>4</sup> in grandi illo opere *Priene* (Berl. 1901) p. 163. ad usum legentium e figurarum illarum multitudine M. Lübke pictor Berolinensis duas hic accuratius delineavit. ac n. 8615 respondet simulacro lucis ope confecto 152 in libro *Priene* p. 161, at non idem exemplam delineator expressit, contra n. 8612 clarior est imago eiusdem exempli f. 155 illic exhibiti. typos Prienses etiam F. Winter reddidit in suo libro *Typen d. fig. Terrakotten* (*Antika Terrak. III 2*) p. 223 a. 1-5. quod ille figuras comicas caricatas videre sibi visus est, a Schraderō satis ex loci, ubi inventae sunt plurimae, sanctitate refutatum est. ceteram multa exempla Musei Berolinensis ex eodem protypō expressa sunt, at aliud alii praestat ideo, quod figulus in nonnullis mollem argillam stilo accuratius postea expolivit orisque lineamenta altius impressit. — de Baubonis figuris, quas olim (cf. Müller *Mél. d. lit. grecque* p. 459) et nuper (*Journ. of Hell. Stud.* XXV 128) agnovisse sibi videbantur, tacere malim.



Contra hanc viri amiceissimi dubitationem non redibo ad ea, quae supra de Baubone exposui, neque Empedoclis illa glossa, unde profectus eram, abutar. hoc enim esset principium petere. ceterum contra archaeologum oculus decet non glossis pugnare. suis enim quisque oculis in eis exemplis, quae delineanda curavi, sine dubio intellet non caput eruribus impositum esse, sed ventrem femineum ipsa sexus na-



Mus. Berol. n. 8615.



Mus. Berol. n. 8612.

Fig. 1 — Baubonum Priensium (saec. IV) exempla duo.

tura conspicuum. <sup>1</sup> quid enim esset caput muliebriter ita desinens? ergo venter sane agnoscitur, sed in humani capitis is formam mutatus. <sup>2</sup> quid hoc sibi vult prodigium?

<sup>1</sup> maxime insignes hac parte sunt fig. 149 et 151.

<sup>2</sup> non *caput*, sed *os* in illa adnotatione dixeram quia pars adversa tantum ab artifice enucleatus expressa est. ceterum non hoc est controversiae iugulum.

In remotissimam hanc antiquissimamque partem rusticanae religionis lucem mihi afferre videtur mira masculi membri formatio, quae per omnem antiquitatem valet. dico virilia aut in animalium aut in virorum speciem integra vel ex parte transformata,<sup>1</sup> atque idem fere interesse puto inter virum mentulatum et ipsum phallum quod inter Iovem fulmen gestantem et ipsum *Κεραυνόν*.<sup>2</sup> atque ut fulmen primum alatum repraesentant, tum aquilae totam figuram addunt, sic phallum primum alis ornam, tum animalis corpore augment, denique hominis capite et corpore adiunctis spirantem viventem vigentem fingunt, sic quod prisca illi homines in virilitate divinum potensque inesse sentiunt, sui iuris esse volunt, sic eum deum phallophoria pie venerantur, quem ad rei rusticae incrementum plurimum valere vident.

Similis Cereris religio: in agrorum ubertate, in animalium fecunditate, in matrimonii fertilitate omnis spes agricolae. haec a sua quisque dea expetit, huc omnis votorum ratio vergitur, iam vero ut Bacchus masculos adamat ritus, ita Cereris *θεσμοφόρου* religio ad matronarum magis sensa et cogitata spectat. Eleusinius quidem ritus paene totus est matronalis. hinc igitur facile intellegi potest, cur priscais temporibus ab agricolis peculiaris dea *Concuba* indigitata et sub uteri forma culta sit, nam aut plane fallor aut sic res explicanda est. Prienenses *zoίλιαν* i. e. *βανβώ* humano ore expressam humanisque cruribus incedentem fingebant, ut qui spectabant mentis venerationisque aciem in hanc potissimum partem converterent et hoc maxime numen sibi afflere crederent.

Veri est simillimum Baubonem illam primitus seorsum cultam, tunc ut Ceraunum in Iovis dicionem, sic illam in Cereris nobilem coetum receptam esse. hinc ut magnae deae sive nutrix sive ancilla et alio et in Ioniam translata est. hinc symbolis variis ut Eleusinii cultus famula ornata est. nam apud Prienenses quidem creberrima est illa figura quam n. 8615 (v. tab.) repraesentat, puella in ventre capitato poma gestans velut uvam et mala. hoc exemplum plane respondet Priapo, qui nudato et ipse inguine humanam fecunditatem prodit simulque in sinu fructuum ubertatem exhibet.<sup>3</sup> gemella igitur

<sup>1</sup> exempla abundat cf. O. Jahni diss. de fascinatione *Ber. d. sachs. Ges.* 1855, von Hiller *Thera* III 186 *Inscr. Gr.* XII 3 Suppl. 1658. vide praeterea Kaibelium *Nachr. d. Götting. Ges. d. Wiss.* 1901, 49.

<sup>2</sup> Usener *Keraunos* in *Mus. Rhen.* 60, i sqq.

<sup>3</sup> Cornutus 27 (Priapus) *ἐμφαίνει γὰρ τὸ μέγεθος τῶν αἰδοίων τὴν πλεονάζουσαν ἐν τῷ θεῷ σπερματικὴν δύναμιν. ἢ δ' ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ παρακαρπία τὴν θαψίλειαν τῶν ἐν ταῖς οἰκείαις ὥραις ἐντὸς τοῦ κόλπου φερομένων καὶ ἀναδεικνυμένων καρπῶν.* cf. O. Jahn *Ber. d. s. Ges.* VII (1855) 237.

huius frugifera dea Baubo, ut similis species canistri etiam in aliis mysteriorum et matrimonii caerimoniis adhibetur. alia figura in capite gestat calathum, cuius exempli nihil nisi delineationem in musei seriniis superesse doleo. symbolum ipsum in Eleusinio ritu nihil explanationis indiget. nec magis tertiae, quam expressam videtis 8612 (supra) fax; quarta (fig. 150) lyra insignis; quinta (cuius exemplum in privatis aedibus inventum) hydriam portat. omnes fere figurae comis in muliebre modum ornatis puellas, ut consentaneum est, non pueros repraesentari docent. varia haec ministeria etsi laud dedecent sacri famulatus ancillas, cave tamen credas plures Baubones, si licet hoc iam nomine uti, per dies festos sanctis coetibus interfuisse. immo lyrae symbolum ad aliam nos ducit coniecturam. constat Cereris sacra ut similia mysteria chorearum strepitu personari solita. <sup>1</sup> itaque fide indignum non est illam corporis nudationem, quam Orphicus poeta significat et Priensium vota repraesentant, pertinere ad mysticum quendam initiatarum mulierum chorum, qui Baubone duce cordacem quendam ductare et haec ipsa lascivia fecunditatem et sibi et agris a deis exoptare assueverit.

Ne hoc quidem loco tangam quae apud alios populos similia inveniuntur <sup>2</sup>, at facere non possum quin animalium psallentium chorum commemorem, qui in pepli Lycosurensis limbo ab artifice saec. fere alterius a. Chr. <sup>3</sup> fectus est. ex figuris in eodem Despoinas fimo inventis singularibus apparet ibi antiquissimos illos animalium choros in sacris adhibitos fuisse, quos olim in Bacchicis *χόροις* personas equis, hircis, avibus, ranis assimilatas egisse constat. <sup>4</sup> ut igitur figuli Lycosurae vota conficiebant, quae sacri muneris memoriam et salutarem vim quasi multiplicabant, ita Prienses quoque artifices e sacerarum chorearum recordatione similemque in usum vota ista agrestia mulierulis religiosis fabricabantur. <sup>5</sup>

<sup>1</sup> meminere velim iacchici chori, cuius adumbrata imago extat in Ranis.

<sup>2</sup> cf. Weinhöf Z. Gesch. d. heidn. Ritus (Abh. d. Berl. Ak. 1896) p. 29 sqq.

<sup>3</sup> Conze Sitzungsber. d. Berl. Ak. 1904 p. 1135. ipsam imaginem pepli, qui in museo nationali Atheniensi extat, habes ap. Cavvadian *Fouilles de Lycosoura* I Ath. 1893.

<sup>4</sup> cf. Perdrizet *Bull. d. corr. hell.* XXIII (1899) 635.

<sup>5</sup> ne pistores quidem abhorrent ab his religionibus cf. Athen. XIV 647 A de Thesmophoriis Syracusanis (*ἐφήβεια γυναικεία ἢ καλεῖσθαι κατὰ πᾶσαν τὴν Σικελίαν μὲν ἄλλοθι καὶ περιφέρεσθαι ταῖς θεαῖς*, de quorum nomine cf. Columba *Archiv. Stor. Sic.* N. S. XIII fasc. 3), 647 B (*χοιρίναι*). cf. Lobeck *Aglaph.* 1067. scilicet pematologia sacra, quam ille subsannabat, seria quaestione admodum digna; de germanicis rebus cf. Höfler *Zeitschr. d. Ger. f. Volksk.* Berl. 1902, 431; 1904, 431; 1905, 319. Breviter tamen hoc moneo *πόπανα δωδεκάμφαλα* (Inscr. Gr. III 77,

Haec si recte coniectura nostra emuleata sunt, facilius explicatur, quod Magnesia ad Macandrum Baubo cum Coscone et Thettale triadem Maenadum efficit, qua sacra Bacchica (*Θιάσους Βάχχοιο*) secundum Thebanum ritum ibi instituta esse sacerdotes Magnesii finxerant.<sup>1</sup> simul hinc iterum elucet, quam arto vinculo tum Cereris et Bacchi mysticae religiones inter se nexae fuerint.

Quodsi ex Empedoclis illo fragmento hoc certe constat ne in Sicilia quidem Baubonis numen inauditum fuisse, et omnino eam insulam prae ceteris Cereali cultu emittisse tot ac tanta templa deabus Eleusiniis sacra ibi eruderata confirmant, spes mihi aliquamdiu erat etiam in Sicilia vota inveniri posse similia Prienensibus, at cum ante duos annos musei Panormitani hypogaeum opere figlino refertissimum cum otio et studio perquirerem nihil ego inveni, nihilo setius gratiae mihi agenda sunt nunc quoque promo condo illius thesauri, praesidio ac decori archaeologiae Siculae, qui etiam abditas suas opes liberalissime in meum usum reclusit et beneficiis multis publicis privatisque hospitis animum in aeternum sibi devinxit.

---

Pringsheim *Zur Gesch. d. eleus. Kults* München 1905, 103) vel *πολνώμφαλα* (Clom. Protr. 2, 22) deabus Eleusiniis praecipue oblata videri ex eadem sentiendi antiquitate, unde Baubonis ventrem explicare studui, nimirum Telluris non solum *uhera* (*μαστει*) dicuntur, sed etiam *umbilicus*, quare in Apollinis sacro Delphico, quod olim Telluris fuisse constat, extat vestigium antiquissimae religionis *Πῆξ ἀμφαλός*, itemque in Eleusinio templo *ἀμφαλός* in honore fuit, quod quidem non erat, cur viri docti mirarentur (cf. Pringsheim l. c. p. 65), si origines maternae religionis late sparsas in antiqua Graecia reputassent, omphali sacri eam explicationem, quam A. Dieterich *Mutter Erde* (Leipz. 1905) p. 106 indicat neque tamen ipse fidenter commendat, ut idem sit ac phallus, commemorasse satis esto, nec cum Rohdeo consentio (*Psyche* 1<sup>2</sup> 132), qui ex *θάλον* forma et religione umbilicum explicat.

<sup>1</sup> O. Kern *Inscr. Magn.* 215, 21 sqq.

*Berolini.*

HERMANNUS DIELS.